



Sammelbd

Sohn

\* K

42  
16.

Q. D. B. V.  
POSITIONUM JURIDICARUM  
AD  
PANDECTARUM  
LIBRUM PRIMUM  
EXERCITATIO PRIMA

QVAM  
DECRETO  
SUPERIORUM  
IN  
ALMA LIPSIENSI  
PRÆSIDE

JOHANNE HENRICO BERGERO  
J. U. D.

AD DIEM XIIIX. DECEMBER. M DC LXXXIII.

P. P.

GOTHOREDUS Homel.  
Weissenfelsensis.

---

Literis JOH. GEORG.



УЧЕБНИК  
МЯТАГОДИЯ  
СОВРЕМЕННОГО  
АМЕРИКАНСКОГО  
ПОЛИТИЧЕСКОГО  
ИДЕОЛОГИЧЕСКОГО  
ПОДХОДА



LECTURO  
S. D.  
PRÆSES.

**N**OVI, quod vides, moliminis causam non est, quod scrutare, habe: Sunt & erunt forte, qui me dirigente solemniter disputandi materiam conquirere gestiunt, at non uno omnes modo. Alii enim unijuris materiæ ex professo, ut ajunt, operari, Alii, cum intelligent, eâ re cursum studii interstrepit, expeditius & quasi extemporaneè agere discipiunt: Utrisque se accommodare par erat. Et ut his haec tenus imprimis consulerem, svadere cœpi, ut congerendis *Miscellaneis Positionibus ad LL. π. & cæterarum Juris Justinianei Partium extantiores* se committerent, ratus, eam rem rarioris thematis scriptione & celerius feliciusque cessuram & tamen si non magis, certe nec minus profutram. Enimvero in his exercitamentis novi, cuius amor noxious hōc ævo esse fvevit, parum, sed quæ alii jam prodiderunt, quandoque *νατὰ τὰ τώδα* repetita reperies; Quod autem auctoribus vitio vix jure veritas, cum intersit juventutis studiosæ, & Latinitati atque elegantiæ, quâ sine coeca omnis doctrina est & illiberalis, præsertim in jure Civili, asfvescere, & eo niti, ut quicquid ponitur, cum auctoritate venustatéve positum videatur. Quid? quod illi se non tam Auctores, quam

A 2

Col.

Collectores profiteantur. Et vero satis fuerit juveni, cum judicio collegisse, præsertim cum omnes Positiones, quisquis verus earum auctor sit, eodem, i. e. Exercitationi publicæ colliment. Cæterum periculum hujus rei primus fecit Ornatissimus Dn. Gothofredus Homel/ Weissenfelsensis, Qui quidem quoad meo ductui se concredidit, cum Morum probitate, tum aviditate descendit singulari ita se mihi commendavit, ut omnino augurer, Deo propitio & Patriæ, & omnium, quorum interest, spem optimè eum expleturum. Quod ut propediem fiat, serio voveo. Tu vero, Candide, vale & conatui Meorum indulge.

AD  
PANDECTARUM

LIB. I.

Tit. I.

De Justitiâ & Jure

POSIT. I.

(L. I. pr.)

Jurisprudentiam Rom. Artis formam recipere, sunt, qui negant, hoc potissimum argumento, quod principia ejus nulla sint certa & constantia, sed à voluntate ac dispositione hominis pendeant. At contrarium verius est vel unius Ciceronis autoritate, i. de Orat. conf. Gell. i. Noct. Attic. 22. Et sanè principia Artis Nostræ licet certitudine non æquent, nedum superent Regulas Mathematics, ceu Antonio Fabro visum præf. ad Ration. & ad Jurispr. Papin. tamen non omni constantiâ & certitudine destituuntur. Neque variatio, quæ à naturâ Objecti pendet, Principia omnino ipsa afficit, v. Bachov. ad d. l. i. n. i.

POSIT. II.

(L. I. §. 2.)

Ex eo, quod Ulpianus d. §. Privatum jus tripertitum esse ait,  
colli-

colligunt Nonnulli, jus *Publicum* omne *Civile* esse *Lyclam.* lib. 7.  
*Membr. Eclog. 41. §. 1. Wesenb. b. n. 14. Frantzk. b. n. 97. seq. Perperam.*  
Nam jus Privatum ideò ita distributum, *tum quod in eo hæc res sit manifester,* *tum quod JCto fortè tantum de jure Privato tractare proposi-*  
*tum sit, & nihil attinuerit, de Publico hoc ingeminare, quod jam trans-*  
*miserat, cum & jus vetus Publicum magnâ ex parte sublatum esset. Cæ-*  
*teroquin huic quoque juri eandem divisionem non ineptè accommo-*  
*dari, ac id non omne Romanorum inventum esse & jura Sacrorum ac*  
*Magistratum, quæ cum Civitatibus ipsis ex jure Gentium veniunt,*  
*& relatio religionis ad jus Gentium, l. 2. b. & Græcorum, Sabinorum,*  
*aliorumque popolorum leges, ex quibus Romani suas maximam par-*  
*tem desumserunt, sat evidenter evincunt, Hahn. ad *Wesenb.* d. n. 14.*  
Add. Tim. Fab. *Disp. anniv. ad Inst. 1. tb. 11.*

### POSIT. III.

(L. 10. §. 1.)

*Præcepta juris* an cum Hoppero l. de art. jur. & Voëtio ad §. 3°  
*Inst. de j. & j. Regulas artis adæquatas, an Generalia dictata ac præ-*  
*scripta juris Communis seu Notiones à Naturâ insitas* interpretabi-  
mūr cum Vinnio ad *Inst. d. t. §. 3.* Mihi non omnium eadem ubique  
ratio videtur. Et duobus quidem præceptis posterioribus Regulam  
Artis Fundamentalem & adæquatam constitui, *Primum* verò præce-  
ptum, quod propositum juris Conditorum exprimit, terminos artis ex-  
cedere dixerim. Quod simul argumento est, *Particularē justitiam*  
finiri b. l. pr. Huber. l. *Digress. X. conf. c. 8. & 9.* An autem Ars nostra  
hæc præcepta ubique præstet atque custodiat, alia & prolixa quæstio  
fuerit, quam heic pluribus exequi non vacat.

### POSIT. IV.

(L. 10. §. 2.)

Quod munus *JCTi* post Duarenum Franzkius *Comm. ff. de O. J.*  
*n. 51. seqq. & Zieglerus *Dicast. Concl. 34. §. 2.* ad quæstiones juris co-*  
*arctant, displicet Schiltero l. *Phil. jur. 15. & c. 8. §. 45.* Cujus sententiae*  
*& ex hoc loco eximium arcessere possis firmamentum.*

A 3

PO-

## POSIT. V.

(L. 7.)

Ex eo, quod jus Civile nullum propriè dici potest, nisi quod ab eo conditum, qui summam habet potestatem, facile colligitur, duas tantum juris species fuisse Romæ, quæ *au<sup>g</sup>ustiniæ* & per se vim obligandi habuerint, sc. Libertatis tempore *Leges Centuriatis Comitiis latae*, Rep. occupatâ *Principum Constitutiones* Huber. I. *Digress. XV.* Cæterum SCta, Prætorum Edicta, Responsa Prudentium quâ conditione inter fontes juris recenseantur vid. Eund. d. I. l. c. 2. 3.

Tit. 2.

## De Origine Juris

## POSIT. VI.

(L. 2. §. 32.)

Inter lapsus Pomponii *μνημονικ*⁹⁵, quos imprimis Bacho- vius strinxit h. perperam à Mureto collocatur, quod h. §. de Jurisdictionis Prærioriae cùm Objecto (fideicommissis) tūm Subjecto (Quæsitoribus criminum) refertur v. Bach. h. §. n. 13.

Tit. 3.

## De LL. Senatûsque Consultis &c.

## POSIT. VII.

(L. 16. jun. l. I. §. 2. l. 3. tit. seq.)

*Jus Singulare*, *Constitutio personalis*, *Privilegium* et si communiveluti confensione confundi subinde soleant, tamen ab invicem utique distant, ut solidè post Strauchium ostendit Magnificus Zieglerus I. de jur. Majest. XII. §. 1. 2. 3. 4. Neque differentiam istam conceptuum tantum, sed & rerum esse exempla distinctissima ultrò evincunt. v. D. Præf. Disp. de *Præcogn. jurispr.* 3. aph. 10. ast. 5. Exemplum Juris Singularis sicut *jus Quasi Ususfructus*, in quo Singularitas deprehendit rat. *Objecti*, a. l. 1. de *usufr. ear. rer. que usu cons.* §. 2. j. d. *Usufr. jun. pr. J. eod. l. 2. §. 1. ff. d. t.* licet hæc, aliter ac vulgo fieri solet, ad *Modum* constituendi porrigi haud debeat, utpote qui *Juris Communis* est, ut quasi *Ususfructus* non ultimâ tantum voluntate, sed & inter vivos constitui posse videatur.

PO-

## POSIT. IX.

(L. 31.)

*Princeps Legibus* ( Civilibus simpliciter s. Meris, v. Vinn. ad §. 1. j. d. J. N. G. & C. n. 2.) solutus est. Quomodo? Ut alias distinctiones, quas prolixè adduxit Hunnius de jur. Auct. & strictum refutavit Bachov. ad Treutl. V. i. D. i. tb. 6. d. hīc omittam, coactivè solutum esse plerique & ex Politicis & ex JCtis respondent. At verò Principe in nec directivè & ita omnino non teneri dignitas ipsius ac Excellentia exigit, cum quā oppidò pugnat, Legibus ad obedientiam vel poenam obligatum esse. Neque video, quā ratione suis constringi Legibus Princeps posse, quas non sibi, sed aliis, subditis nimirum, dedit. Et ea omnino mihi videtur sententia JCti b. l. respicientis ad L. R. quā mutatō Reip. Rom. statu principi id datum fuit, ut simul & semel & in perpetuum omnibus Legibus sc. Civilibus solveretur. Cui consequens, ad Leges poenales, Caduciarias, aut ad solennia b. text. male restringi; Quod præsertim à sententiâ Compilatorum, qui generalem illam propositionem sub generalem titulum retulerunt, haud dubiè alienissimum. Alia questio est de Officio Principis, cuius ratio exposcit, ut ipse ultrò Legibus parat, & ita exemplum subditis præbeat, qui sanè, quas contemni videbunt, LL. ab ipso Principe, nec ipsi lubentes observabunt, neque facile persuaderi sibi patientur, optimas esse Leges, quas Princeps ipse non respiciat. Eoque refero textus omnes, qui aliter hāc de re loqui videntur, v. Dn. Præsid. Disp. d. Præcogn. Jurispr. 2. apb. 7. ast. 8. conf. Ziegl. 1. d. jur. Majest. 1. §. 27. seqq.

## POSIT. IX.

(L. 32. §. 1.)

Ad Obligationem Legis ( Scriptæ ) an observantiam ac usum requiremus? Ita ex hoc loco cum Covarruvia 2, V. R. 16. n. 6. quem Strauchius sequitur Diff. Canon. 1. tb. 35. sibi contrarius Diff. de statut. à S. P. tb. 33. arguas. Verum distinctione Legum ac Statuum Reip. hīc opus. Videlicet Julianus d. I. ad Leges Populares & tempora Reip. Liberæ respexit, ex quorum usu etiam definitionem Legis §. 4. J. d. j. N. G. & C. intelligi convenit. Ceteroquin in statu præser-

tim

tim Monarchico acceptationem Subditorum non requiri verius. Bach.  
ad Treutl. V. i. D. i. tb. 5. b. Carpz. i. Decis. 3. & 2. Decis. 101. Ex quo se-  
quitur, Legis observantiam præsumi, adeoque ab eo, qui ex Lege  
agit, haud probandum, præterquam si, quod cautus evitabit, illam  
alleget, ut rectè ex Carpzovio Schilterus Ex. π. i. tb. 10. Alia & Popu-  
laribus tantisper gemina ratio est LL. Ecclesiasticarum, ut quemad-  
modum per modum conventionis à Patribus in Conciliis statuuntur,  
ita non aliter teneant nisi recentæ, can. 3. dist. 4. eleg. Ziegl. i. de jur.  
Maj. V. § 79.

Tit. 4.

De Constitut. Princip.

POSIT. X.

(L. i. §. i.)

*Interlocutiones* dum inter species Constitutionum Principalium  
hic referri vides, universaliter, indirectè licet, obligare facile con-  
cesseris; Nisi obstare crederes L. 2. & 3. C. d. LL. At non obstant. Il-  
lam enim vel de sententiis, quas Princeps non causam ipse cogniti-  
onaliter examinans, ut in l. f. C. eod. sed ad relationem & suggestio-  
nem judicium statuit, vel de Constitutionibus Personalibus & Privile-  
giis, quod ex rubr. & vers. vel quibuslibet corporibus patet, exaudiri,  
Hanc verò de Exceptione, Noluntate, inquam, Principis intelligi  
necessè est. v. Franzk. b. t. n. 33. & 34.

Tit. 5.

De Statu hominum.

POSIT. XI.

(L. i.)

Jus Personarum & Jus Rerum distincta esse vel ex h. l. arguitur,  
conf. t. J. d. jur. Pers. pr. j. d. R. D. jun. pr. j. d. oblig. l. 3. de O. & A. §. 1.  
seqq. j. d. Act. Distinguuntur verò 1. Objecto, intuitu cuius nominibus se-  
cernuntur; Scilicet Objectum juris est Res (generalissimè) quæ est vel  
Personæ vel Res (singulariter ac in sensu juridico). Licet enim jus Re-  
rum & inde veniens Actio præsertim personalis etiam personam affi-  
ciat, afficit tamen non intrinsecus & rat. statu, ut Præjudicialis sola,  
sed extrinsecus rat. rei præstandæ, l. 3. pr. d. O. & A. conf. Hub. IV.

Digress.

**Digress. 2. 2. Origine.** Illud ex Statu, Hoc partim (ratione juris in Re) ex Traditione ut plurimum, l. 20. C. d. pact. partim (rat. juris ad Rem) ex Facto obligatorio, l. 1. pr. d. O. & A. descendit. 3. Effectu, Ex illo oritur Actio Personarum (Præjudicialis) §. 13. f. de Act. jun. l. 37. d. O. & A. l. 3. pr. d. mort. inf. l. 9. 10. de liber. caus. & simil. Ex hoc Actio Rerum (Non-Præjudicialis) quæ pro diversitate ipsius juris est vel Realis vel Personalis (Quarum differentias tam inter se, quam à Præjudicialibus referre res alias erit loci) v. Hahn. ad Wes. b. n. 1. & Diff. de Jur. Rer. c. 1. concl. 2. §. 10. Unde meritò mirari subeat, quod Jus Personarum ex Veteribus præsertim alii cum jure ad Rem, alii cum jure in Re, alii cum utroque simul misceant, invitâ, inquam, jurisprudentia Romanæ, nec hujus duntaxat, sed & Naturalis indole, v. Hahn. d. Diff. c. 1. concl. 2. n. 13. & concl. 3. Cæterum jus Rerum (sc. Agile, v. Hahn. d. diff. c. 1. concl. 6.) rat. Objecti Proximi duplex est, in Rem & in Personam (Quæ vocabula, uti Civilia sunt, ita aptiora illis, quæ ex J. Canonico vulgo circumferuntur, sc. juris in Re & ad Rem Hubero videntur IV. Digress. 4. Quamvis & hec relatione non destituuntur, cum oppositionem non in Objecto, quod utriusque idem est, sc. Res, sed in Modo afficiendi Rem, qui est vel *Immediatus* vel *Mediatus* & per præpositiones *In* & *Ad* effertur, quæri velint Autores) Definitiones utriusque, quas ex Hugone Grotio affert, & à stricturis Feltmanni vindicat Huberus d. l. probo & Successorum unی illustrandas commendabo. De *Numero* item jurium in Re cum quæstio sit & prolixia & ambiguè hoc seculò disputata, eā malim hīc abstinere, præser-tim quod sciam, alias π. sedes ventilandæ illi accommodatores fore.

## POSIT. XII.

(L. 9. cum seqq.)

Vox *Statū* quō sensu b. t. accipiatur, videndum. Et laxius pro conditione hominis quacunque eam supponi præter alleg. l. 9. Lex 10. 7. 26. 12. 14. 15. & similes evincunt Magnif. D. Svendend. ad Eck. b. t. §. 1. Quare frustrè est Hahnus ad W. b. n. 1. dum Vultejum aliquos erroris insimulat, qui aliâ, quam Justiniani Methodo usuri in personis præter statum specialiter dictum etiam Circumstantias alias, quas Rhetores Attributa Personæ vocant, considerent. Quasi verò tria

illa capita, quæ statu specialiter tali comprehenduntur, Attributa Personarum non sint. Ut ut inficias non eam, illis *νατ' εξοχίῳ*  
*& in famosiori sensu ex merito statutis appellationem tribui.* l. 2.3. b.

Tit. 6.

De his, qui sui vel alien. Jur.

POSIT. XIII.

(L. 1. pr. jun. §. 1. & L. 3. it. pr. J. eod.)

Personæ divisione alià (non re, sed formā, v. Tab. part. elem. part. 1. th. 16.) dividuntur in eas, quæ sunt *Sui* vel *Alieni Juris*; *Hæ Patriæ & Dominicæ* Potestate continentur, *ad. text.* Quibus Magnificus Struvius eas, quæ in Potestate Maritali hærent, addit *Ex. 3. th. 7.* Verùm meminisse oportebat, vocem Potestatis strictè *νατ' εξοχίῳ* hic sumi cum respectu ad familiæ subjectionem, cuiusmodi potestas non Maritis magis, quam Magistratui ac Tutoribus convenit. Uxor enim æquè sui juris est ac Vir. Enimvero jus Civile Marito imperium domūs ex prærogativâ sexūs & jure Gentium relinquit, l. 195. §. 2. l. 196. pr. de V. S. sed quod effectus Legales attinet, non habet uxorem in potestate maritus; Ipsa quoque Socia & Domina dicitur, l. 1. rer. amot. l. 41. pr. de leg. 3. l. f. de aur. & arg. leg. Ergò relinquitur duas tantum domesticæ subjectionis species esse, Servorum & Filiorum-familias. Hancenus Huberus *ad Inst. b. n. 1. & 2. Digress. 1.*

POSIT. XIV.

(L. 6.)

Positis nuptiis legitimis præsumtione fortissimā natus pro legitimo habetur, v. Menoch. 6. præf. 53. Mascard. *de probat. concl.* 788. Modò cetera concurrent, veluti, ut Maritus habilis ad generandum extiterit, etiam cum uxore cohabitārit, nec longiori tempore absuerit. Ex quō à Juliano responsum fertur in d. l. 6. *Si quis, cùm per decennium absuisset, reversus anniculum repererit in domo, hunc non esse mariti filium.* Quam sententiam placere sibi autor leg. Ulpianus ait. At quæ dubitandi ratio hīc suboriri poterat Ulpiano? Quis, inquam, dubitet, non esse Mariti, qui decem annis absuit, filium, puerum unius anni? Nisi uxorem singas fuisse ex genere elephantorum, quos vulgo dicunt in utero gestare decem annis v. Apul. l. 1. *Metam.* Hinc est, quod Bachovius

vius Ulpianum hactenus aut nimiris insulsum esse, aut Iudos fecisse ac jocatum putet h. Verum non deest, quod illum à cavillis Bachovii libaret. Vel enim ibi pro decennium rectius legeris biennium aut duennium, quæ conjectura est Eckolti h. §. 12. Vel potius cum Struvio Ex. 3. tb. 44. ex l. 1. §. 14. de agnosc. vel alend. lib. (quæ ejusdem Autoris est, etiam Juliani in eodem casu meminit) hic casum factæ Denuntiationis, nec sequutæ Negationis, vel contraria Denunciationis ex parte Mariti supponas, quod utique dubitari poscit, intelligatur nè Maritus partum agnovisse, arg. l. 1. §. 4. jun. l. 3. §. 1. d. t. Sed deciditur utrinque ex sententiâ Juliani, non intelligi, quod hactenus palam sit, filium esse adulterinum, observatio vero SCti tum, ubi res est dubia, necessaria sit.

Tit. 7.  
De Adoption. & Emancipat, &c.  
POSIT. XV.  
(L. 35.)

Dum ex hoc loco per Adoptionem dignitatem augeri potius, quam minui Juris Nostri autoritate constat, nihil forte dubitandum, quin verissimum sit, quod obnoxie aliqui recusant, plebejum hominem à Nobili adoptatum jure atque more Romano tam fieri nobilem, quam qui nobilissimæ domi sit natus. Accedit quod Senatoriae dignitatis, quæ est fons Nobilitatis apud Romanos, fiat consors, qui adoptatur à Senatore, l. 6. de Senat. Adde, quod Adoptivi adipiscantur jura Cognitionis, l. 8. §. 4. und. cogn. Consangvinitatis, l. 42. b. omniaque familiæ, l. 11. §. 2. de bon. poss. sec. t. 6. b. inter quæ jus imaginum fuisse vel ex Tacito s. Annal. i. liquet. Instat ex l. 23. b. Tiraquellus de Nobil. c. 15. §. 6. dissentiens, Adoptione non jus Sangvinis (ea, quæ solius naturæ) sed Agnationis (quæ Juris positivi sunt) afferri. Atqui Nobilitas & Excellentia generis Naturæ incognita, ususque hominum reperta, quam proinde adoptione acquiri nihil vetat. Tradux ille Nobilitatis est commentitius, saltem Græcis & Romanis ignotus, nationib[us]que potissimum Germanicis usitatus. Nec obest, quod Ingenuitas adoptione non comparetur l. f. b. Illa enim uti immediate à Naturâ est, ita à Nobilitate plane differentiationem habet. Inquis i. Adoptione Patriam tantum Potestatem constitui, l. 1. pr. b. Resp. Et vi Relativorum ex parte Adoptandi filiationem

tionem cum familiæ, adeoque Nobilitatis juribus. 2. Nobilitatem ex privatorum concessione non pendere. Resp. Neque hactenus directè pendere, sed ex consequentiâ Adoptionis, quæ à Jure publico profluit, conferri, v. Hub. 2. Digress. 24. & ad Inst. b. n. 7.

Tit. 8.

De Rerum Divis. & Qual.  
POSIT. XVI.

(L. 1. pr. L. 2. 3. 4. 5. 6.)

*Res Summâ* (in Scholâ JCtorum) divisione sunt vel *Divini* vel *Humani juris*. Illas h̄ic mitto. Hæ sunt vel *Publicæ* (vocabulō laciūs suppositō) vel *Private* l. 1. pr. Illarum aliæ sunt *Communes*, aliæ *Publicæ* (in specie; Neque enim ex eō, quod Communium tantum l. 2. fiat mentio, protinus cum Hotomanno inferre possis, illas cum his easdem esse; Vel enim, ut aliás, ut d. l. pr. §. 1. f. b. l. 14. d. A. R. D. sub verbo *Publicarum* aliquando etiam *Communes*, ita *Communium* quoque appellatione *Publicæ* continentur, ut tamen quædam sint in specie *Communes* oppositæ *Publicis*; Vel verba: quædam *publica*, quæ forte exciderunt, restituenda. Utrumque eodem recidit, & probatur tum autoritate Justiniani & Theophili, quorum uterque duas species distinetas, *Communium* & *Publicarum* proponit, tum Exemplis *Publicarum*, quæ *Communium* exemplis proximè subjiciuntur, l. 4. §. 1. l. 5. pr.) aliæ *Universitatis*, l. 2. pr. Etsi membra hujus divisionis poterant per dīxotouia succintius ordinari, v. Hahn. ad W. b. n. 3. Nos JCtī & Imperatoris filum sequemur. Sed quid sunt *Communes*? Quid *Publicæ*? Quid *Universitatis*? H̄ic verò præsertim circa priorum durarum descriptiones à Dd. ab ipso etiam Justiniano multùm variari video, ut non immerito hanc rem difficilioris explicationis esse Bachoviūs existimet ad pr. f. b. r. n. 3. Breviter: I. Res *Communes* finio, quæ naturā suā proprietatis (actualis) nesciæ (Hinc & Nullius dicuntur, §. 5. J. b. l. 51. de contr. emt. sc. 1. Negativè, ut contradistinguantur Rebus *Divini Juris*, quæ uti commērcio exemptæ sunt, ita privativè Nullius audiunt. 2. Quoad actum & Naturā suā, quod naturā proditæ ad usum humanum in nullius adhuc dominium pervenerunt, ut JCt. ait l. 14. pr. de A. R. D. non exclusâ tamen aptitudine, ut alicuius fieri possint. Idque est, quod Strauchius voluit Diff. 6. apb. 2. ) omnibus vacant, d. l. 51.

d. contr.

*d. contr. emt.* (i. e. omnium, non quidem animantium, cùm ratione  
carentibus usum Juris rectius negemus, sed hominum promiscuo usui  
ac occupationi prostant.) Tales sunt feræ bestiæ §. 12. *J.d.R. D. d. l. 14.*  
*pr.* Lapilli, Gemmæ, &c. §. 18. *J. b. l. 3. b.* (ut proinde *d. l. 3. legi* 2.  
§. 1. non inepte subiecta videri posse, quod alioquin Ant. Vacca ac Ba-  
chovius exagitant) quæ in totum, Aër, Mare, Litora maris, §. 1. *J. l. 2. S.*  
*l. b. l. 13. §. f. de injur.* quæ per partes occupari possunt. v. Franzk. *Comm.*  
*ff. b. n. 4.* II. *Res Publicas* (*in specie*) voco, quæ in *Patrimonio populi*  
*d. l. 14. pr. de A. R. D.* (Imò quandoque privatorum, exemplo Ripa-  
rum, §. 4. *J. l. 5. pr. b. l. 3. de flum.*) constituta usui omnium (non homi-  
num, sed ex populo, *l. 30. S. 1. de A. R. D. l. 2. §. 2. ne quid in loc. publ.*  
*l. 2. de viâ publ.* vid. Magnif. D. Syend. *ad Eck. b. §. 12.*) patent, ut  
flumina, Portus, §. 2. *J. l. 4. S. 1. b.* & similia III. *Res Universitatis*  
describo, quæ proprietate Universitatis (*in populo*) usu singulorum ex  
illâ, ut theatra, stadia, balnea publica, §. 6. *J. l. 6. S. 1. b.* Quæ uberior  
hîc poterant moneri, alii aliis locis relinquo.

## POSIT. XVII.

(L. 6. §. f. L. 7.)

Inter hos duos textus de religione Cenotaphii antinomiam esse  
vult A. Matthæi *Disp. q. fund. jur. 8.* eumq; secutus Wissenbachius *Disp.*  
*Inst. 9. b. 13. seqq.* At absque necessitate. Nam et si Martianus dissense-  
rit, Justinianus Autor  $\pi.$  mox eum refutat. *Uno Spiritu* legenda sunt  
ultima *d. l. 6. & l. 7.* verba. Nam totus  $\pi.$  contextus est continuus &  
Justiniani proprius. Nomina JCtorum tantum præfixa sunt, ut auto-  
ribus debita laus maneret, *l. 2. §. 10. C. d. V. J. E.* Si referam ego senten-  
tiā alterius, & mox eum refellam, nunquid tum ob relationem alienæ  
opinionis à me ipso dissentire dicar? Fatendum, multos abuti distin-  
ctione inter narrationem & dispositionem Legum ad tollendas contra-  
rietates, sed ideo non debet nunquam usurpari. Hæc tota est Huberi  
IV. *Digress. 25.* repetita *Comm. Inst. b. n. 9.*

## POSIT. XXIX.

(L. 8. §. 2. L. f.)

Ab Religiosis & Sacris differunt Sanctæ §. 10. *J. b.* ubi exempla  
Sanctorum Rerum, Muri & Portæ Civitatis, *l. 8. l. 9. S. 3. b.* Imò Ro-  
mani omnem murum putant sacrum præter portas, ait Plutarchus *in*  
*Rom. Bachovius* in *Comm. ff. p. 283.* aut JCtum & cum eo Justinianum

aut Plutarchum errare conjicit. Vinnius ad §. 9. b. distinguit, quod  
Iure Pontificio Portæ non sint sanctæ, secundus apud JCtos. Atqui Plutar-  
chus non negat, portas esse sanctas, h. e. inviolabiles, sed *sacras* esse ne-  
gat, ut ex voce (Græcā) & Ratione ejus liquet, quia multa per eas non  
pura evehuntur, Huber. IV. Digress. 25. Puniuntur, qui portas & mu-  
ros violant, capite, d. §. 10. l f. b. Quod communiter ad urbem *Romanam*  
restringere placuit. In communi opinione haud gravatè cum laudato  
Hubero d. l. & Vinnio add. §. 10. n. 3. acquiesco, & hujusmodi homi-  
nes pro qualitate delicti arbitrio judicis extra ordinem plectendos sta-  
tu. Licet enim d. l. f. mentio fiat Civium Romanorum, cujusmodi  
intelliguntur omnes subditi, l. 17. de stat. hom. tamen malim in *pæna-*  
*libus id* verbum accipere in posteriori & magis proprio significatu. Et  
sunt sanctitatis *gradus*, nec quicquid sanctum est, ejus violatio conti-  
nuò capite plectitur, aut quod capite non plectitur, sanctum non est.  
Satis enim est ad hoc, ut sanctum sit, ab injuriis hominum defensum,  
aut sanctione aliquâ subnixum esse, l. 8. pr. l. 9. §. 3. b. Quo ipso satis-  
factum d. Legi 8. §. 2.

Tit. 9.

# De Senatoribus.

## POSIT. XIX.

(L. 5.)

*Etiam ante adeptionem dignitatis Senatoriae natus filius Senatoris intelligitur, d. l. 5. inf. Non O. l. II. C. d. dign. Quandoquidem quod initio d. l. II. habetur, infra in ead. leg. vers. cum autem paternos corrigitur & propofita quæstio deciditur ad eundem modum, quô ab Ulpiano b. Quam Πτίκεισν Dd. beneficio interpretationis ad Nobilitatem & aliam quamlibet dignitatem, ipsa etiam privilegia opificium extendunt, Hahn. ad Wesf. b. inf.*

## POSIT. XX.

(L. 8. L.f. pr.)

Ex d. l. 8. inferunt Interpp. in terminis Nobilitatis, quod fœmina Nobili Patre nata, si nubat Plebejo, pro ignobili habeatur & Plebeja, si Nobilinubat, & ipsa Nobilis censeatur, quo de latè Tiraquellus de Nobi-

*Nobilit. c. 18. Nisi tamen illinc à Principe impetrat, ut dignitatem, in qua  
nata, retineat, Quæ est limitatio d. l. f. pr.*

*Tit. 10.*

*De Offic. Consul.*

**POSIT. XXI.**

(L. Un.)

*Potestas Consulum non omni tempore fuit eadem, vid. Rosin.  
VII. Antiq. Rom. 9. Valde tamen improbabile est, quod ex b. l. con-  
jectat Wesenbecius h. ætate Ulpiani iis non nisi Voluntariam compe-  
tiisse. Nam Ulpianus ipse alibi potestatem Juris dicendi Consulibus  
tribuit, l. 57. d. re jud. Neque hic, dum excellentiorem speciem potes-  
tatis exemplo Manumissionis illustrat, protinus quasi sui immemor  
Contentosam denegasse existimandus est, v. Magnif. Dn. Svendend.  
ad Eck. b.*

*Tit. 11.*

*De Offic. Præf. Præf.*

**POSIT. XXII.**

(L. un. §. 1. 2.)

*Duo privilegia hujus Magistratus hic refert Arcadius. Pri-  
mum, ut ab ejus sententiâ appellari non possit, §. 1. l. 17. de minoris  
Quamvis Jure Cod. contra eam Supplicationis remedium indultum  
fit, l. un. C. b. l. 5. cum auth. C. de prec. Imp. Offer. N. 119. c. 5. Secun-  
dum, quod ex illo ex parte pendet, ne adversus eorum Decreta Mino-  
res ab aliis (Majoribus, ut Consulibus) sed ab illis ipsis restitui pos-  
sint, contra regulam l. 16. §. f. de minor. Bachov. b. inf:*

*Tit. 12.*

*De Offic. Præf. Urbi.*

**POSIT. XXIII.**

(L. i. pr. jun. §. 4. L. f.)

*Præfecti urbi potestas vindicandi crimina ad urbem & centesi-  
num lapidem extra eam restringitur b. §. 4. Unde verba principii vel  
supposititia esse, vel ex d. §. 4. ubi non minus Epistolæ D. Severi men-  
tio fit, ad centesimum lapidem coarctari oportet. Quod verò l. f. di-  
citur*

citur: Praefectum extra urbem posse judicare jubere, vel cum Gl. ibidem de praefecto, qui extra urbem, h. e. centesimum ab illâ lapidem, terminum sc. suæ potestatis constitutus est, quod non quidem ipse jus dicere, alium tamen, ut intra centesimum lapidem judicet, judicem dare possit, explicandum, vel potius dicendum, terminos urbis in d. l. f. ex l. 2. de V. S. non de centesimo lapide, sed continentibus ædificiis, quibus urbs Roma finitur, accipiendos, v. Franzk. Comm. ff. b. n. 8. conf. Coraf. b.

**Tit. 13.**  
**De Offic. Quæstor.**  
**POSIT. XXIV.**  
(L. un. pr.)

Quæstorem hic verum fuisse Magistratum ex d. l. satis apparet. Alia est ratio Quæstoris pecuniaæ ad Civitatem, quæ pro privatâ re habetur, l. 15. 16. de V. S. pertinentis, quod de l. f. §. 1. de mun. & hon. Magnif. Dn. Svend. ad Eck. b. §. 2.

**Tit. 14.**  
**De Offic. Prætor.**  
**POSIT. XXV.**  
(L. 3.)

A servo ex errore publicè electo & admisso gesta ex æquitate φιλοτιμίας & favore publico sustineri sententia est famosissimæ l. 3. Quam Dd. comm. uti ex Rationis identitate ad alias inhabilitatis species porrigit, invito ut ut Voëtio in simili specie §. 7. 7. de testam. quem Huberus notat ad d. §. 7. ita limitant, si quis ipse sibi privatim personam, quam gerit, assumserit. Id verò palam est, errare, qui ex hoc loco concludant, Errorem Communem jus facere. Neque enim Ratio h. l. ex Errore Communi, sed à favore autoritatis utilitatisque publicæ arcessenda est, novissimè J. Gothof. h.

**Tit.**

Tit. 15.

De Offic. Præf. Vig.  
POSIT. XXVI.

(L. 3. §. i. jun. l. ii. de peric. & comm. rei. vend.)

*Incendio in ædibus oborto culpa inhabitantium præsumitur b. l. nr. non protinus Domini, a. d. l. ii. de peric. & comm. rei vend. Quæ cum nimis sit Generalis, ad condemnationem non sufficit, nec contrarii probatione Dominum gravat, sed certæ ac determinatæ Personæ culpam argui necesse est, a. l. 6. §. f. naut. caup. Idque Novissima Decis. Elec̄t. 80. disertè cautum. Diss. Carpz. P. i. Quæst. 39. n. 58. seqq. Vinn. i. Q. 33.*

Tit. 16.

De Offic. Proc. & Legat.  
POSIT. XXVII.

(L. 6. §. 3. jun. l. 7. de L. Jul. Repet.)

*Judici nihil omnino accipere licet, ut judicet aut non judicet. Idque pressè L. jul. Repet. cautum, l. 7. d. L. jul. Repet. Quid ergò de Xeniis? Hæc verò excepta esse ex b. l. nr. 6. §. 3 communiter colligitur. At dubitari possit, annon de solis illis, quæ tempore ingressus in provinciam (qui, qualis esse debeat, describitur, l. 4. §. 5. b.) à Provincialibus offeruntur, intelligi textum oporteat. Et si omnino ei ultiora durante officio Xenia accipere licuerit, nondum tamen confecta res est, licuisse ea accipere intuitu judicii, quod exercetur, aut à partibus litigantibus, cum præter judiciorum ordinem etiam aliæ res & negotia ejus curæ commissa fuerint, ut patet ex l. 7. b. eleg. Magnif. Ziegl. Di- cast. Concl. XX §. 33.*

POSIT. XXVIII.

(L. 13. h. jun. l. 4. pr. de off. ejus &c.)

*Legatus Proconsulis annon nudus Mandatarius sit, ex b. nr. l. 13. dubitari poterat. Et tamen eum verum Magistratum fuisse vel ex*

C

jun

jun. l. 4. pr. de Off. ejus ubi disertè propriam jurisdictionem habere dicatur, evincitur. Ut alia momenta taceam, quæ congesit Franzkius b. n. 19. Et ergò dum Noster d. l 13. b. nihil proprii habere fertur, nisi &c. id non fundamenti ratione, sed exercitii intelligendum, ut Jurisdictionem in hunc eventum jam tum collatam exercere nequeat, nisi à Proconsule admonitus.

Tit. 18.  
De Offic. Præsid.  
POSIT. XXIX.  
(L. 6. §. 1.)

In veterē & quotidianā quæstione: Utrum judex secundum *acta probata*, an verò secundum *conscientiam* judicare debeat, sententiæ prioris, quam cum Moralistis comm. tenet, argumentum primum ex b. l. 6. petit Covarruvias i. Resol. 1. Sed enim *adversarius* planè est *textus alleg.* Quandoquidem eò loci fides probationis non opponitur conscientiæ judicis, sed *errori*, dolo, simulationi alterius contrahentium; Quod cùm animadvertant ejusdem sententiæ Patroni, Covarruvias ipse, imprimis Cujacius XII. Observ. 19. est, quòd non multum de tubicine hoc cum illis quisquam sibi confidat, præfertim ubi viderit accuratissimè pro conscientiâ (liquidissimâ) concludentem Magnif. Ziegli. Dicast. Concl. XXXV. per tot.

POSIT. XXX.  
(L. 14. vers. si verò)

Si ante furorem vel tempore intervallū furiosus deliquerit, petriné posteā in furore puniri? Ait cum Bronchorstio Cent. 2. Miscell. aff. 69. & Fachinæo IX. Contr. 5. Ludvvellus Disp. XVIII. q. 5. d. per d. l. 14. In quā tamen, dum nec morbo ejus demandavia, dicitur, furiosum non obstante morbo puniendum, innuitur, at quō tempore, nil finitur. Et quò minus paroxismi tempore puniri debere sentias, vel solus animæ favor facit. Quæ & communis opinio est, quam frustrà deserit ex hinc colligas, fusè Gæhauf. Peric. Acad. VI. Q. 33. P. 3. Carpz. P. 3. Q. 145. n. 22. seqq.

Tit

Tit 21.

( De Offic. ejus cui mandat.)

POSIT. XXXI.

(L. i. pr.)

Vocem *Jurisdictionis* tam latè accipi, ut comprehendat quādam speciem sibi cognominem & *Imperium Merum* tum ex aliis textt. tum imprimis ex b. l. adstruitur, ubi aut quæstionem à Papiniano metam in Domitianam abire necesse est, aut præsupponendum, appellatione Jurisdictionis Merum contineri imperium. Nil obest l. 3. de jurisd. Quia ibi Jurisdictionis voce strictius uti placuit. Unde Jurisdictionis Criminalis, quæ tamen cum Imperio Mero prorsus coincidit, v. Franzk. de jurisd. n. 54. seqq. commentum non est, contrà quām Strauchius D. 20. aph. I. § 7.

POSIT. XXXII.

(d. l. i. pr.)

*Imperium Merum* cùm speciali concessione, (etiam hodie, v. Franzk. d. t. n. 56. seqq. conf. Schilt. Ex. 6. 6. 8.) competit, mandari nequit (nec Jur. Canon. v. Vinn. de jurisd. c. 3. n. 4. seqq.) nisi uno casu *Absentia*, (justæ ac necessariæ, d. l. i. pr.) Annon etiam alio simili, ut Infirmitatis? Ita comm. creditur, v. Bachov. ad II. de jurisd. p. 367. Quod quidem Jure Noviss. certum Ord. Crim. art. 2. Neque exceptionem illam vel ad judicium L. Jul. de vi cum Bocero de jurisd. c. 6. n. 22. vel cum Hilligero ad Don. c. 8. dd. ad Cognitionem restringi convenit; Cùm illinc specialitatis Ratio appareat nulla, hinc Ratio Juris repugnet, quæ Exceptionem vult esse de regulâ. Sanè quam huic exceptioni ex l. un. C. qui pro sua jurisd. addunt Interpp. vera exceptione non est, utpote quæ nec Criminalium causarum meminit & ad magnam varietatem causarum Civilium commodissime referri potest, ut recte Cynus in d. l. un. n. 8.

HOC

**H**Oc deerat summo, quem tecit laude, labori,  
Ut canerem laudem, laudibus hisce, suam.

*Ita non poterat non laudare suum*

*Homelium*

Gothofredus Negelein/ LL. Cult.

**D**igna brabea Tibi Themis alma paravit, Homeli,  
Quæ labor assiduus, quæ Tua cœpta merent.  
Quod labor assiduus meret, id cum laude palæstra  
Publica testatur, quam modò scandis ovans.  
Actio grata Deo, quam suscipis! actio digna,  
Quæ jugis dignô laudis honore micet!  
Sed laudes quid canto Tuas, 'quas ipse recusas?  
Jure manebit honos, quem Themis alma parat.  
Prospera fata cape & felici scande cathedram  
Omine, Felici patria tecta subi!


Eximio Dn. Resp.

*Amico estimatisimo*


hoc quicquid est, debebat

**Gottfried Gleitsmann/**  
**Leucopetræus.**

















































01 A 6699



VD 77 Detmold ✓



D

E



# FarbKarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



42  
76.  
B. V.  
IRIDICARUM  
CARUM  
PRIMUM  
CIO PRIMA  
M  
ETO  
ORUM  
PSIENSI  
IDE  
RICO BERGERO  
D.  
MBR. M DC LXXXIII.  
P.  
DUS Homel.  
elsenfis.  
H. GEORG.